UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sylva Cogitationum Sacrarum Pro Cathedra Seu Conceptus Prædicabiles

Ex Præstantissimis Authoribus collecti ; Et In tres Classes divisi

Complectens Dies Festos Per Annum

Höger, Franz

Ingolstadij, 1726

VD18 90197097

Festa Communia

urn:nbn:de:hbz:466:1-53072

Visual Library

FESTA COMMUNIA

FESTUM MARTYRIS.

Martyres varij.

THESIS I. *In occisione gladij mortui sunt.* Hebr. 11. v. 37. I. Sunt Martyres *Diaboli*, nempe Ethnici, Hæretici, scelerati Christiani. II. Sunt Martyres *Sæculi*, qui patiuntur pro ambitione, & superbia, voluptate, & lascivia, terrena facultate, & opulentia. III. Sunt Martyres *Dei*, quos causa, pœna, forma commendat, quia pro Deo. *Vivien in Tertull.*

THESIS II. *Eamus & nos, ut moriamur cum eo.* Joan. 11. v. 16. Sancti Martyres reddiderunt Christo I. Dilectionem pro dilectione. II. Sanguinem pro sanguine. III. Vulnus pro vulnere. *Id.*

THE-

THESIS III. *Calicem quidem meum bibetis.* Matth. 20. v. 23. I. Christus communicat Martyrum Passionibus. II. Martyres communicant Christi Passionibus. III. Martyrum Passiones eædem velut habentur cum Christi Passionibus. *Id.*

THESIS IV. *Quis ergo nos separabit à charitate Christi?* Rom. 8. v. 35. Sancti Martyres demonstrârunt I. Fidem inconcussam. II. Spem arduam. III. Charitatem perfectam. *Id.* *Virtutes.*

THESIS V. *Gaudium meum, & corona mea.* Philip. 4. v. 2. Sunt Martyres felices, quia I. Christum coronant. II. Ecclesiam coronant. III. Seipsos coronant. *Id.*

THESIS VI. *Reddidit Justis mercedem laborum suorum.* Sap. 10. v. 17. Martyres I. Fortunæ bonis nudantur; Gratiæ thesauris locupletantur. II. Morte mulctantur; Immortalitate donantur. III. Ignominiâ dehonestantur, Honore decorantur. *Vivien in Tertull.* *Nil perdunt.*

Tria genera Martyrij.

THESIS VII. *Deus nos . . . ostendit tanquam morti destinatos.* 1. Cor. 4. v. 9. Tria sunt genera Martyrij I. In sanguinis effusione. II. In carnis maceratione. III. In Proximi compassione. *Petrus Bless. serm.* 38.

THESIS VIII. *Reposita est mihi corona Justitiæ.* 2. Tim. 4. v. 8. Quivis Martyr cum S. Paulo dicere potest : I. *Bonum certamen certavi*; nam ejus certamen fuit glorioſum. II. *Cursum consummavi* ; nam ejus cursus fuit perfectus. III. *Fidem servavi*; Nam ejus fides fuit admirabilis.

Aut Martyres, aut Tyranus.

THESIS IX. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter Justitiam.* Matth. 5. v. 10. Vel Martyrem, vel Tyrannum ages ; vel persecutionem institues , vel persecutionem senties in hoc Mundo , ubi non sunt nisi Tortores & Torti. *Vide Consid. P. Crasset. fer. 2. post Dom. 6. post Pasc.*

Pati bonũ.

THESIS X. *Ibant gaudentes à conspectu Concilij, quaniam, &c.* Act. 5. v. 41. I. Nihil glorioſius, quàm pati. II. Nihil dulciùs , quàm pati. III. Nihil salubrius, quàm pati. IV. Nihil

Nihil magis Necessarium, quàm pati. *Crasset. feria 3. post Dom. 6. post Pascha.*

THESIS XI. *Quis ergo nos separabit à charitate Christi?* Rom. 8. v. 35. Petrus & Paulus una die, uno in loco, unjus Tyranni toleravêre sententiam .... Dies ergo puto pro merito, locus pro gloria, persecutor decretus est pro virtute. *S. Maximus Episc. hom. 5. de SS. Apost. Pet. & Paul. paulò post init.* *Pluves Martyres.*

THESIS XII. *Generositatem illius glorificat.* Sap. 8. v. 3. I. Fuit Martyr, qui mortem glorioſam meritus est suâ bonâ vitâ. II. Fuit Martyr, qui Vitam secundam meritus est generositate sua. *Diction. Apostolic.* *Merita.*

THESIS XIII. *Eamus & nos, ut moriamur.* Joan. 11. v. 16. Sex motiva sunt libenter moriendi, quorum tria Deum respiciunt, tria nostrum commodum. I. Primum est, quia nostra mors procurat *Gloriam Dei*, qui est Arbiter vitæ & mortis nostræ: secundum, quia mors nostra satisfacit *Justitiæ Divinæ*: Tertium, quia *Amorem suum* erga nos, quantum potest, repandit. II. Quartum, quia mors si- *Mors optabilis.*

nem facit miseriarum hujus vitæ; Quintum, quia nos liberat à *periculis peccatorum*; Sextum, quia est transitus *ad meliorem vitam*. *Crasset de Bona morte, c. 2.*

FESTUM CONFESSORIS.

Imitatio Sanctorũ.

THESIS I. *Mortuus erat, & revixit.* Luc. 15. v. 24. Sancti revivi-scunt in nobis per Imitationem. I. *Generantur* enim, cùm moribus concipiuntur. II. *Grandescunt*, cùm similitudo perseverat. III. *Moriuntur*, cùm similitudo iterum destruitur.

Unus.

THESIS II. *Omnia simul in te Uno habentes.* Tob. 10. v. 5. Adeste Mortales, & encomium mecum illius conficite; Moderatorem, qui chronis insideris; Plebei Legislatorem; Literarum Studiosi Præceptorem; Virgines Pronubum; Conjugatæ pudicitiæ Magistrum, omnes Patronum honorate. *S. Gregor. Naz. de S. Basilio.*

THE-

THESIS III. *Magnificavit Dominus Josue coram omni Israël.* Josue 4. v. 14. I. Magnus Officio. II. Magnus Merito. III. Magnus Præmio. IV. Magnus Suffragio. Primum & secundum in terris, tertium, & quartum in cœlo. *Laus.*

THESIS IV. *Memoria Justi cum laudibus.* Prov. 10. v. 7. Cujus tota vita (scilicet Hieronymi) Studium, Pœnitentia, Morbus.

THESIS V. *Pascet unusquisque eos, qui sub manu sua sunt.* Jerem. 6. v. 3. Triplici fructu pascit Dominī gregem. I. Pascit *Vitâ.* II. Pascit *Doctrinâ.* III. Pascit *Intercessione. S. Bern. serm. de S. Benedicto.*

THESIS VI. *Imitatores mei estote.* 1. Cor. 4. v. 16. Imitatio Sancti est generatio alterius Sancti. I. Aliqui Sanctos *admirantur.* II. Aliqui Sanctos *imitantur.* III. Aliqui nec admirantur, nec imitantur. *Imitatio.*

THESIS VII. *Benefacite his, qui oderunt vos.* Matth. 5. v. 44. I. Zelus hujus Sancti meretur admirationem,

quando ex inimicis fecit amicos Veritatis. II. Patientia ipsius meretur admirationem, quando inimicis suis cessit, qui ipsi intulerunt mortem. *Diction. Apost.*

THESIS VIII. *Dans gloriam Deo.* Rom. 4. v. 20. I. Sanctus hic unicè quæsivit gloriam Dei suo Labore ac Studio. II. Purificavit verbum Dei sua Oratione. III. Connrmavit sua bona Vita. *Id.*

FESTUM VIRGINIS.

Castitas triplex. THESIS I. *Eò, quòd Castitatem amaveris.* Judith. 15. v. 11. I. Bona Castitas *Conjugalis.* II. Melior Continentia *Vidualis.* III. Optima Perfectio *Virginalis.* *Beda hom. in 2. Dom. Epiph.*

Virginitas thesaurus. THESIS II. *Simile est Regnum Cælorum thesauro abscondito.* Matth. 13. v. 44. I. Quæ cura & labor, donec quis

quis thesaurum sibi comparet ? II. Quæ solicitudo, & anxietas, ut quis eum conservet ? III. Quæ formido, & timor, ne eum perdat ? IV. Quis dolor, & desolatio, si eum perdidit. Hic thesaurus Virginitas est.

THESIS III. *Quinque prudentes.* Matth. 25. v. 2. Sunt illæ, quæ sensus custodiunt. I. Quæ Visum. II. Quæ Auditum. III. Quæ Gustum. IV. Quæ Tactum. V. Quæ Odoratum ab omni inordinatione conservat. *Virgo sit Virginis & auditus, & visus, & gustus, & tactus, & odoratus, motúsque omnis.* Inquit S. Antoninus P. 3. t. 2. c. 2. §. 7. *Virgines prudentes.*

THESIS IV. *Quinque fatuæ.* Matth. 25. v. 3. Hæ sunt: I. Festinantes ad Nuptias. II. Non æstimantes thesaurum. III. Corpore tantùm, & non mente. IV. Periculo se exponentes. V. Sibi & non Deo tribuentes. *Fatuæ.*

THESIS V. *Virgines enim sunt.* Apoc. 14. v. 4. Amor Christi in Virgines probatur ex eo. I. Quod fecit *Deo charæ.*

cit Virginibus, II. Virginum Parentibus. III. Virgini Virginum MARIÆ.

Amoris certamen. THESIS VI. *Diligis me plus his?* Joan. 21. v. 15. Certamen Sanctum inter & profanum Amorem; seu Problema: Quis in theatro humani cordis alterum superaverit in Dilectione sui Objecti? *Vide sis P. Knellinger in Dominicali part. 1. n. 143. & 414.*

Virgines Angeli sunt. THESIS VII. *Erunt sicut Angeli Dei.* Matth. 22. v. 30. I. Angeli appellari possunt *Virgines Cœli.* II. Et Virgines nostræ *Angeli Terræ*, cum hoc discrimine, quòd Angeli terræ adhuc in via mereri possint, & Virgines Cœli ampliùs in via mereri non valeant.

THESIS VIII. *Adolescentiarum non est numerus.* Cant. 6. v. 7. Postquam Deus è Virgine natus est, inquit S. Hieronymus, Virginitas & Sanctitas magis abundavit inter Fœminas, quàm inter Viros.

Pretium Virginitatis. THESIS IX. *Dux Virginitatis mea tu es.* Jerem. 3. v. 4. Tria sunt, quæ Virginitatem attollunt, & æstimabilem

lem faciunt; scilicet: I. Quia est Bonum *Rarum.* II. Quia est Bonum *Fragile.* III. Quia est Bonum *Irreparabile. Diotallevi de Benefic. Divin. Consid. 23. de Virginit.*

THESIS X. *Lilium inter spinas,* Cant. 2. v. 2. Est Virginitas in tentationibus: Has spinas habet aliquando I. *Circa* se, scilicet Mundum. II. Aliquando *juxta* se, nempe Dæmonem. III. Aliquando *intra* se, scilicet Carnem. *Id. ibid.* *Tentatio.*

PRO

JUBILÆO.

THESIS I. *Est, qui multa redimat modico pretio.* Eccl. 20. v. 12. Rectè, & salubriter fieri, quòd Indulgentiæ liberaliùs concedantur. I. Ob Iniquitatem nostrorum temporum. II. Ob Necessitatem Ecclesiæ. III. Ad Incrementum bonorum Operum. IV. Ob Inopiam pauperum. *Faber Dom. 6. post Pasch. Conc. 7.* *Causæ.*

IN

I N
ANNO SÆCU-LARI

THESIS I. *Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto, sicut erat &c.* Ecclesia. I. *Gloria Patri*, à quo omne principium velut à Patre Sæculorum; II. *Et Filio*, qui nobiscum est usque ad consummationem Sæculi: III. *Et Spiritui Sancto*, qui vivificat, seu conservat vitam: IV. *Sicut erat in principio* Ordinis, *& Nunc* est, *& semper* fuit sine interruptione, *& in sæcula sæculorum* usque ad finem mundi erit, durabitque.

THESIS II. *Ortum fecit fructum centuplum.* Luc. 8. v. 8. I. Fructum *Honoris.* II. Fructum *Meritorum.* III. Fructum *Consolationis*, seu Gaudij.

THESIS III. *Stetit itaque Sol in medio cœli, & non festinavit occumbere.* Jos. 10. v. 13. Sol stans, & Tempus pergens. Id est Sol gloriæ, & Splendor Ordinis perseverans, & Tempus in Meritis accrescens. *Sol stabat, sed tempus ibat. S. Aug.*

PRO

PRO
INDULGENTIIS PORTIUNCULÆ.

THESIS I. *Est, qui multa redimat modico pretio.* Eccl. 20. v. 12. Excellentia.

I. Hæc Indulgentia à Christo *Data* est. II. A Christo *Confirmata* est. III. A Christo *Publicata* est. *A Domino factum est istud.* Ps. 117. Primum quidem, quando Christus prima vice apparuit illam dando; Alterum, quando altera vice Francisco apparuit determinando tempus illius, scilicet à primis Vesperis usque ad secundas; Tertium, cùm in publicatione valoris tantùm ad decennium, juxta mentem Pontificum, locò verborum *ad decennium* Episcopi semper vi coacti protulerunt *in perpetuum.* *La Selve part. 3. de Sanctis.*

THESIS II. *Ut plures lucrifaceremini.* 1. Cor. 9. v. 19. Causa.

Dedit Christus hanc Indulgentiam I. Ut *Mercedem Zeli* S. Francisci, qui teste S. Bonav.

nav. c. 9. Legend. fervidum habebat zelum ad salutem omnium salvandorum. II. Ut *Signum Amoris* sui erga Peccatores, meritò adnumerandum tribus alijs, scilicet Nativitati, Passioni, Eucharistiæ, quæ signa sunt amoris ejus erga peccatores. III. Ut *Monumentum Liberalitatis* suæ erga Ecclesiam, cùm hodie descendens de cœlo ipsemet thesauros Ecclesiæ aperuit. *Id. ibid.*

PRO

ASSUMPTIONE VESTIS RELIGIOSÆ.

Bona Status Religiosi

THESIS I. *David fugit, & salvatus est.* 1. Reg. 19. v. 10. In Religioso statu homo vivit I. Puriùs. II. Cadit Rariùs. III. Surgit Velociùs. IV. Incedit Cautiùs. V. Purgatur Citiùs. VI. Irroratur Frequentiùs. VII. Quiescit Securiùs. VIII. Moritur

tur Confidentiùs. IX. Remuneratur copiosiùs. *S. Bern. vide Engelgrave in Cœlo Empyr. Conc. de Comm. Conf.* §. 2.

THESIS II. *Collocavit me in obscuris, sicut mortuos sæculi.* Ps. 142. v. 4. I. Ingressus in Religionem est *Mors* generosa. II. *Sepultura* incorruptibilis. *Resurrectio* anticipata. *Pretteville.* *Mors.*

THESIS III. *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* 1. Pet. 4. v. 1. Ingressus in Religionem est I. Participatio Vitæ patientis, & Crucifixæ Salvatoris. II. Participatio ipsius vitæ Triumphantis, & glorioſæ. *Id. Disce ô Christiane à Christo, quemadmodum diligas Christum. S. Bern.*

THESIS IV. *Hæc Porta Domini, Justi intrabunt in eam.* Ps. 117. v 20. I. Virgo Sanctimonialis intus præteriens Portam Monasterij aspicit illam ut *Januam* Ditis, seu Portam Inferni. II. Virgo Sæcularis extus præteriens aspicit eandem januam ut *Januam Cœli*, seu Portam Paradisi. Quæ causa tam diversi aspectûs ejusdem Portæ? in promptu causa est : quia deintus e- *Porta Monasterij.*

grediendo itur ad Infernum, aforis ingrediendo itur ad Cœlum. Ecce eadem Porta non omnibus una. Hinc ego à fronte Portæ bene pingerem faciem Cœli, à tergo verò faciem Inferni, imaginem utrinque considerabilem.

Vocatio. THESIS V. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Joan. 15. v. 16. I. Novitius felix est in sua Electione. II. Felicior in constantia Electionis. III. Felicissimus in successu Electionis à se factæ.

Mundus. THESIS VI. *Elegi abjectus esse in Domo Dei mei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Ps. 83. v. 11. Quòd majoris & difficilioris Resolutionis Opus sit in Mundo remanere, quàm Mundum deserere, illi videlicet, qui in Cœlum intrare contendit. Hinc bene cum David ait: Elegi abjectus esse in Domo Dei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Vocatio. THESIS VII. *Satagite, ut per bona opera certam vestram Vocationem & electionem faciatis.* 2. Pet. 1. v. 10.

Pa-

Patet I. Felicitas animæ, quæ Vocationi suæ respondet, quia uno pede jam cœlum tenet. II Infelicitas animæ, quæ Vocationem suam negligit, quia pleno cursu Infernum petit. *Crasset in Consid. feria 5. & 6. post Dom. in Albis.*

THESIS VIII. *Ego sum Via, Veritas, & Vita.* Joan. 14. v. 6. I. Via in Exemplo. II. Veritas in Promisso. III. Vita in Præmio.

THESIS IX. *Per viam compendij.* 2. Reg. 18. v. 23. Status vitæ Monasticæ I. Compendium est omnis illius, quidquid in Ecclesia Militante Heroicum ac Generosum est. II. Compendium est illius, quidquid in Ecclesia Triumphante Gloriosum est. *Diction. Apost.* *Laus vitæ Monasticæ.*

THESIS X. *De mundo non estis.* Joan. 15. v. 19. I. Oportet intrare Religionem sicut *Adam* in Paradisum. II. Oportet ibi manere, sicut *Christus* in hoc Mundo. III. Oportet ibi vitam finire sicut *MARIA* in terris suam finijt. *Id. ibid.* *Vita.*

Vestis Religiosa. THESIS XI. *Induite novum hominem.* Ephes. 4. v. 24. Habitus Religiosus est Vestis I. *Salutis.* II. *Lætitiæ.* III. *Gloriæ.* P. *Schedelich, S. J. Incitamenta Religiosorum part. 4. Exhort.* 29.

Vocatio. THESIS XII. *Domine, qui amas animas.* Sap. 11. v. 27. Et inter eas nunc has nunc illas eligis tibi cariores; Hodie elegisti tibi iterum unam, & quidem carissimam, utpote I. In *Sponsam.* II. *Sororem.* III. *Amicam. Soror mea, Amica mea.* Cant. 5.

IN PROFESSIONE SANCTIMONIALI.

Discrimen Mundi & Religionis. THESIS I. *Melior est dies una in atriis tuis super millia.* Ps. 83. v. 11. Discrimina inter Mundi voluptates, & Religiosi Statûs Delicias capesis: I. Profanæ deliciæ sunt venenatæ, illæ salutares. II. Profanæ insta-

stabiles, & fugitivæ, hæ solidæ. III. Illarum saturitas fastidium parit, non harum. IV. Illæ effœminant, hæ roborant. V. Illæ circumscriptæ terminis, hæ absolutæ. *Vide Mendoza in lib. Reg. Annot. I. Proëmiali sect. 3.*

THESIS II. *Ecce Ancilla Domini.* Luc. I. v. 38. I. Libertas serva. II. Servitus libera in Religione. Econtra Libertas nulla, Servitus tota in Mundo. *Bonum.*

THESIS III. *In omni opere tuo præcellens esto.* Eccl. 33. v. 23. Servorum Dei nullum Opus, nisi I. Bonum. II. Nisi Perfectum. III. Nisi Maximum. *Vita.*

THESIS IV. Certamen Amoris Sancti & Profani. *Vide supra Festo Virg. thes. 6.* *Amor Dei.*

THESIS V. *Sponsabo te mihi in sempiternum.* Ose. 2. v. 19. I. Sponsus verus donat *Cor* suum Sponsæ. II. Sponsus assignat *Dotem* Sponsæ suæ. III. Sponsus dat *Liberos* Sponsæ suæ: Omne hoc præstat Sponsus Divinus animæ; cui in amorem præbet Cor, in *Sponsalia Divina.*

dotem Cœlum, pro liberis innumeras Virtutes.

Laus. THESIS VI. *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi* JESUM *Christum, & hunc crucifixum.* 1. Cor. 2. v. 2. Sanctimonialis sit oportet I. Crucifixi *Filia.* II. Crucifixi *Sponsa.* III. Crucifixi *Ancilla.*

THESIS VII. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cant. 2. v. 16. S. Magdalena de Pazzis precabatur Beatissimam Virginem, ut ad imitationem suam fieret *Mater, Filia, Sponsa*: Mater per conformitatem, juxta illud Christi; *Qui facit voluntatem meam* &c. Filia per amorem: juxta illud. *Ego sum Deus Zelotes* &c. Sponsa. *Diotallevi Dom. SS. Trinit.*

THESIS VIII. *Erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Matth. 22. v. 30. Vita hæc character est Electorum; Arca Salutis; Beatæ spes æternitatis; Sponsio cœli; Beatitudinis Cynosura; testimonium Divini Amoris; Certissimum Prædestinationis signum, æternæ Veritatis Oraculo juratum. *In Vita B. Stanislai.*

THE-

THESIS IX. *Quæsivi, quem diligit anima mea.* Cant. 3. v. 1. I. Inveni, quem diligit anima mea. II. Tenui eum. III. Nec dimittam. *Cant. 3. v. 4. Vide Consid. P. Crasset fer. 2. post Dom. in Albis.* *Constantia.*

THESIS X. *Sponsabo te mihi in sempiternum.* Ose. 2. v. 19. I. Sunt *Pseudo - Sponsæ.* II. Sunt *Semi-Sponsæ.* III. Sunt *Veræ Sponsæ.* Primæ sunt, quæ tantùm externam speciem præferunt sponsæ, intrinsecus autem sunt mundanæ. *Quia es in sæculo, in Domino non es.* Aug. *serm. 37. in Luc.* Secundæ sunt, qui simul Deo & Mundo adhærere volunt, & ut S. Gregor. loquitur 1. *Moral. c. 6. Qui habent aliquid sæculi, & aliquid Dei.* Tertiæ sunt, qui soli Deo adhærent. *Posthac ego ero totus tuus, & tu tota mea*, dixit Christus ad S. Theresiam. Zelotypus, inquit S. Bern. *in Scala Claustr. §.* 10. est iste Sponsus, si fortè alium amatorem receperis, statim recedet à te. *Sponsæ variæ.*

THESIS XI. *Reliquimus omnia.* Matth. 19. v. 27. I. Oportet creaturas & mundum relinquere cum gaudio. *Mundus deserendus.*

dio. II. Debemus optare, ut relinquendo ea, ea etiam nos deserant. III. Oportet de hac derelictione judicare ex abalienatione cordis, & affectûs nostri ab omnibus his.

Fuga Mundi. THESIS XII. Ecce *nos reliquimus omnia.* Matth. 19. v. 27. I. Quando nos relinquimus creaturas, non debemus ampliùs earum *recordari* cum affectu. II. Neque *desiderium habere* eas possidendi. III. Neque *Timere* vel dolere earum jacturam.

Obligatio. THESIS XIII. *Spectaculum facti sumus.* 1. Cor. 4 v. 9. I. Christus à te desiderat, & vult, ut idem pro ipso præstes coram hominibus, quod ille vult facere pro te ante Patrem suum. II. Angeli te respiciunt, & petunt, ut te separes ab hominibus mundanis, quomodo illi se separant à malis Angelis, qui contra Deum agunt. III. Religiosi te aspiciunt, & intendunt, ut vitam absconditam cum ipsis agas, & eorum frater, soror &c. fias.

Felicitas. THESIS XIV. *Beati servi tui, qui stant coram te semper.* 3. Reg. 10. v. 8. Religiosi beati I. Ante mortem. II. In morte. III. Post mortem. Dirckinck *Exhort. fol.* 314. *item* 308.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN